

Elephan-
toru mi-
ra sagaci-
tas.

lunam venerantur. Cujus rei auctores sunt Mauritani, in quorum regionibus Elephanti innumeri conspiciuntur: qui gre-
gatim nova nitescente luna ad amnes descendunt, ibique lavantur: mox purificati, genibus flexis salutant fidus, & in sylvas
revertuntur. Sunt, qui tradant tanta intellectus sagacitate Elephantos pollere, ut maria transirent ad alienas regiones,
non ante a naves conscendere voluerint, quam ii, qui eos ducebant, jurejurando de reditu promiserint. In sylvas ituri gre-
gatim serè semper ingrediuntur, quorum agmen ducit natu maximus: cogit verò atate illi proximus. Produunt Elephan-
tos à venatoribus circumventos, cum sciant pradam solum in dentibus suis ab illis exeri, dentibus vehementer impin-
gentes arboribus eos sibi evellere, pradamque se redimere. Quod facile crediderim vanum ac fabulosum esse: quemadmodum
esse falsum superius ostendimus, quod fides viso venatore sibi ipsi testes amputet. Elephanti omnes natura indomiti, syl-
vestresque sunt, mitescunt autem arte, ut plerumque alia fera animalia. Item si parvi & atate tenelli educantur: quanquam
Plinius scribit, natu grandes domari fame & verberibus: praesertim si aliis domitis, qui tumultuantem coerceant, admo-
veantur. Porro non desunt in Elephantorum genere, qui natura feritate nunquam domari possint, quales in Senega (ut in
suis navigationibus scriptum reliquit Aloisius Cadamustus) Aethiopiae regno reperiuntur. Elephantorum dentes admira-
bilis magnitudinis venales spectari possunt in compluribus Italiae urbibus, veluti Roma, Venetiis, Mediolani & Neapoli: è
quibus non solum innumeri pectines parantur ad explicandos capillos, sed etiam alia plura instrumenta, quae ad huma-
num usum accommodantur. Hinc itaque fit, ut nesciam ego, qua ratione ductus Fuchsius, scripserit in libro de compositione
medicamentorum, quem nuper auctum edidit, Ebur nullibi penè verum reperiri: atque illud quod vulgo ejus vice in officini-
is prostat, marinorum piscium dentes esse: quod in hoc erret evidentius est, quam ut a nobis ostendatur. Praestat Ebur ad
albas mulierum fluxiones, si tamen in tenuissimum pulverem, lapide porphyreo redigatur, propineturque ex lactuca semi-
nis cremore, aqua in qua chalybs extinctus fuerit, prius macerato semine. Quod Græci ἰλίπας, Latini Lbur nominantur:
Italis Avorio: Germanis Hellsantbeyn: Hispanis Diente de elefante aut Marfil: Gallis Tuoire.

Fuchsi
opinio
falsa.
Eboris
vires.
Nomina.

Ἀγρόπυλος ὄστρον.

SUILLUS TALUS.

CAP. LI.

Suis talus comburitur, dum è nigro albescat: qui tritus & potus inflationibus coli, longisque tormini-
bus medetur.



Nomina. Talus in animalibus os illud ultimum pedis est, quod tibiae cruris annectitur. Id Græci ἀγρόπυλος, vulgò autem os cla-
vicula appellatur, de quo non opere pretium est, ut plura dicamus. Nomina subijciam. Græcum est ἀγρόπυλος & ὄστρον,
Latinum Talus Suillus: Italicum Talone del porco: Hispanicum Tornizuelo de pie de puerco: Gallicum Talon de porceau.

Εἰς τὸν νῆρον.

CERVINUM CORNU.

CAP. LII.

Antiq.
codex.
ὄστρον
i. utero
affectus.

Cervini cornu cinis elotus, binis ligulis epotus, prodest dysentericis, excreantibus sanguinem, coelia-
cis, & regio morbo & vesicæ doloribus cum tragacantha: fœminis fluxione vulvæ laborantibus,
cum liquore huic rei accommodato. Cervi cornu contusum, crudo fœteli, luto circumlito, & in furnum
indito, uritur donec albescat. Id cadmiæ modo elotum, ulceribus oculorum, & defluxionibus salutare
est, infriatum dentes expurgat. Crudi cornu suffiti nidore serpentes fugantur, fervefactum in aceto, si eo
gingivæ colluantur, maxillarum à dentitione dolorem adimit.

Cervorum
historia.

Cervi animalia sunt notissima. Sed quoniam eorum natura non omnibus cognita est, ut candido cuique, lectori fiat sa-
tis, ea de Cervis hic referam, quæ Aristoteles tum 6. & 9. de histo. animalium libris, tum 4. de partibus eorundem
posteritatis memoria prodidit. Cervi itaque, sylvestrium animalium genere constant, magnitudine asinorum, cursu velocis-
simi & ingentibus armati cornibus. Ii cum turgente jam Venere coitum appetunt, adeo rabie libidinis saviunt, ut insa-
miant, & maximo cum strepitu & clamore vagantur in sylvis: quos, ut convalles & montium cavitates, eorum boatu
resonent. Tanto impetu, tantaque rabie mares feruntur in coitum, ut sæpe inter coeundum fœminas declinent atque proster-
nant in terram. Cum autem maris genitale utpote durum, sustinere non possint fœminæ, mantes & currentes coeunt &
concupiunt. Mares non in eadem immorantur, sed mutant & hircorum modo, brevi interposito tempore aliam atque aliam
supergradiuntur. Si forte fortuna in unam tantum fœminam concurrant plures, imis cornuum adminiculis, statim supra
frontem enatis, acriter inter se pugnant ad mortem usque. Cum mares impleverint fœminas, separantur per se ipsi, & pro-
pter libidinis graveolentiam quisque solitarius scrobes fodit. Fatent ut hirci: facies quoque, eorum nigrescit aspergine, ut hir-
corum.



- corum. Degunt ita quousq; imber accedat, tum pascua repetunt. Hac ideo Cervo accidunt, quia salax animal suapte natura est, atq; etiam quia pingui abundat: pinguescunt enim astate supra modum. Quamobrem nec currere quidem possunt: sed secundo aut tertio cursu capiuntur ab iis, qui pedibus insectantur. Quo fit ut ubi se prapingues sensere, latebras querant, fatentes incommodum pondus. Coitus est ab arcturo, Mense Augusto & Septembri. Implentur cervæ paucis diebus, & ab eodem multæ. Utero ferunt octo Menses. Pariunt magna ex parte unum: sed nonnulli etiam geminos cervam peperisse perspectum est. Ferarum quadrupedum Cervæ maxime prudentia præstare videtur, tum quia circa semitas pariat, quod scilicet beluæ rapaces propter homines minus accedunt: tum etiam quia cum peperit involucrium primum exedit, quod ad multa (ut nonnulli asserunt) in medicamentis expetatur. Redeunt mox ad prolem, devorata à partu se felis herba. Anniculis maribus nondum cornua nascuntur, nisi quod indicij gratia sit initium quoddam protuberans, quod breve hirtumq; est. Bimis cornua primum oriuntur simplicia & recta, ad subularum similitudinem: quamobrem Subulones per id temporis eos vocant: trimis bifida exeunt: quadrimis trifida, atq; deinceps ad hunc modum (ut Aristoteles inquit) procedit numerus usq; ad annum sextum. Ab hoc similia semper prodeunt, ita ne sit dignoscere ætatem ramorum numero. Verum in Italia (sit tamen cum Aristoteli venia dictum) usq; ad undenarium numerum ramificant, quod & Albertus testatur se vidisse in Germania, quemadmodum & nos vidisse fatemur. Addam præterea, quod certo scimus, Guilielmum Bavaria Ducem inter res suas pretiosas habuisse bina cervi cornua, quorum singula unum & viginti ramos fundebant. Hæc admiranda cornua postea dono, ut pote raro ac singulari, data fuerunt Serenissima Pannoniorum Regina Maria, Caroli V. Imperatoris, & Ferdinandi Romanorum Regis sorori. Vanum est credere Cervorum ætatis annos dignosci posse ramorum numero, quod singulis annis unum super addant: quippe cum longævi admodum sint, si quot annis ramorum numerus augetur, profecto iis, qui ultra centum annos vixisse narrant auctores, cornua quercubus, & pinis majora fuissent. Caterum (ut Aristoteles scribit) duplici indicio senes cognoscimus, tum quod dentes aut nullos, aut paucos habeant: tum quod adminiculis careant, quæ imis cornibus prominent ante frontem: Nam ius in pugna utuntur juniores sed in senibus non renascuntur, cum præliis omnino cesserint. Cervi (ut etiam Theophrastus inquit libro & capite primo de historia plantarum) quot annis cornua amittunt: ideo sub ipsa die quam maxime invia petunt. Latent amissis velut inermes, sed & ipsi bono suo invidentes. Fit hoc mense Aprili, statuto tempore: idq; opacis faciunt locis, ut muscarum radio vacent: pascuntur per id tempus noctu quasi verecundantes, donec recipiant cornua. Decidua amittunt difficilibus, & inaccessis locis, & qua inveniri nequeant: unde illud proverbium ortum: quæ cervi amittunt cornua. Quasi enim sua amiserint arma, cavent ne inermes reperiantur. Cornu sinistrum compertum esse (inquit Aristoteles) à nemine adhuc fertur: oculunt enim id tanquam quodam medicamento præditum: etsi Plinius & Albertus oculi dextrum memoria prodiderunt. A phalangio demorsi, vel à quovis generis ejusdem, caneros edunt: quod idem homini etiam prodesse putatur: sed non caret fastidio. Cervi sibilo, & cantu venantium, pastorumq; fistulis capiuntur: mulcentur enim alliciunturq; ea voluptate, ita ut alter venantium cantet palam, aut sibilat, alter clam feriat à tergo, ubi socius jam tempus esse significaverit. Namq; animal simplex cervus est, & omnium rerum miraculo stupens, intantum ut equo, aut bucula accedente, propius hominem juxta venantem non cernat, aut si cernat, arcum ipsum sagittasq; miretur. Si cervus erectas auriculas teneat, acerrimè sentit, nec latere insidia possunt: sin demissas, facile interimitur. Maria tranant gregatim natantes porrecto ordine, & capita imponentes præcedentium clunibus, vicibusq; ad terga redeunt. Hoc maxime notatur à Cilicia Cyprum trajicientibus. Nec vident terras, sed in odorem earum natant. Cervorum foemina cornua non habent: nec maribus nascuntur, si cum per ætatem nondum cornua gerunt, castrantur: sed si cornigeris testes exciduntur, non decidunt cornua, & magnitudine eadem servantur. Cervas tamen cornigeras, non sine naturæ miraculo, quandoq; inventas esse compertum habeo. Hujus autem miraculi fidem facere possunt illa cornua cervæ, quæ sunt Augusta Vindelicorum apud Antonium Fuggerum nobilissimum divitem, in quorum singulo sex rami conspiciuntur. Atq; id ipsum confirmari potest non dissimilibus cervæ cornibus, quæ argento laborato ornata conservat Dux ille Bavaria, de quo à nobis paulo ante facta est mentio. Vita cervi (ut Plinius memoria prodidit lib. 8. cap. 32.) in confesso longa: quandoquidem post centum annos quidam capti sint cum torquibus aureis, quos Alexander magnus addiderat, ad optum jam curæ in magna obesitate. Caterum quod vita tam longa sint cervi, quanta eos esse ferunt, non videtur approbasse Aristoteles lib. 6. de hist. animalium, ubi sic inquit: Vita esse quam longa hoc animal fertur. Sed nihil certi ex iis, quæ narrantur, videmus: nec gestatio aut incrementum binnuli ita evenit, quasi vita esset prælonga: hæc Aristoteles. Quirerem à nihil certi nancisci potuit ex his, qui centum annos post Alexandrum capti sunt cum torquibus aureis. Nec etiamnum ex Casari Augusti cervæ, quæ similiter innumeris elapsis annis post ejus imperium capta nunquam jugulari potuit, prohibente torque argenteo, temporis diuturnitate curæ quasi contecto, in quo scripta legebantur verba hæc: Noli me tangere, quia Casaris sum. Monte Asia Elapho nomine apud Arginusam, quo loco

Aristote-
les argui-
tur.

Vulgaris
opinio
vana, ra-
morum
numero
ætatem
dignosci.

Cervi
castratis
cornua
non na-
scentur.

Cervi vi-
ta.

Aristote-
lis & Pli-
nii lapsu-
dum in
Aphrica
cervos
esse ne-
gant.
Cervi fel
non ha-
bent.

Vermes
in capite
cervi.
Cervi u-
sus in
medici-
na.

Vesalius
arguitur.

Nomina.

Alcibiades mortem obiit, ceru omnes scissa aure sunt, qua nota vel alibi si loca mutaverint, dignoscuntur. Mirum quippe est dixisse Aristotelem lib. 8. cap. 28. de historia animalium, Aphricam nec cervos, nec apros gignere. Cui etiam subscribit Plinius lib. 8. cap. 33. Cum tamen palam omnibus sit, & aprosum & cervorum greges in Aphrica haberi: nisi forsitan posteriori aro aliunde eo fuerint illati. Dictamnum herbam extrahendus sagittis (ut Plinius est auctor lib. 8. c. 27.) cervi monstrare percussio eotelo, pastusq; ejus herba ejecto. Quod tamen Dioscorides capris attribuit telo in Creta vulneratis. Cervi manifestò fel in jecore non habent, quemadmodum equi, asini, muli, cameli, dama: & in natatiliu genere delphinus & phoca: sed id in venulis continent, qua per intestina sparguntur: quo fit, ut eorum viscera non modo in cibum minime recipiantur, sed nec a canibus quidem edantur, nisi prapinguia sint: amarescunt enim bile, qua suffunduntur. At cervi Achani cognomine, fel contineri in caudacredunt, auctore Aristotele. Est quod ibi contineri ajunt, colore quidem simile felli, sed non ita ut fel humidum, tamen simile parte interiore. Hoc degustantibus atrocissimum est venenum, adeo ut brevi temporis spatio hominem e medio tollat. Vermes cervi omnes continent in capite vivos, qui nasci solent sub lingua in concavo circiter vertebra qua cervici innectitur caput, magnitudine baud minores iis, quos maximos carnes putres ediderint. Gigni universi atq; contigui solent numero adeo circiter viginti. Cervinus sanguis (ut Rasis inquit libro sexaginta animalibus dicato) clysteribus infusus intestinorum ulcera sanat, & diuturnas alvi fluxiones cohibet: ex vino vero sumptus, venenatis sagittis resistit. Ejus cerebrum nervorum, & compaginum collectiones mundat. Cornu ad candorem usq; exustum, ex melle haustum, alvi tineas pellit. Juvenum cervorum tenerrima cornua, qua adhuc laevigiosa cuticula operiuntur (auctore Scribonio Largo) in taleolis concisa, & novo fictili indita, ac inde operculo argilla circumlito, in clibanum imposita, donec adeo arescant, ut in pulverem facile contereri possint, additis pipere & myrrha, colicruciatis mirifice medentur. Sordes etiam, eodem auctore, qua in protensis oculorum cervorum angulis herent ac coalescunt, tam hausta quam illita, praestant mirifice ad venenatorum serpentium morsus. Ideoq; a Siculis venatoribus diligenter colligi scribit, & quocumq; portari cum ipsis in cingulo. Os praterea, quod in cervorum corde reperitur (tamen si Vesalius vir alioqui clarissimus libro, quem de humana fabrica edidit, nullum inibi os reperiri falso contendat) omnibus cordis affectibus confert. Quin & contra omnia venena mirifice praestat, antidotusq; admiscetur, qua pestilentia adversantur. Sed cavendum est, ne hujus loco seplasiarii bubulam tracheam arteriam accipiant in compositionibus, ut facere consueverunt. De Tubere, seu Bolero cervino vel fungo, quem e cervi semine oriri quidam asserunt satius superq; a nobis dictum est in libro nostrarum Epistolarum. Itaq; qui haec non legerunt, ibi hujusce fungi historiam & vires invenient. Quod Graeci *ἰαψα κίρας*, id Latini Cervinum cornu vocant: Itali Corno del cervo: Germani Hirshhorn: Hispani Cuerno de ciervo, & Punta de ciervo: Galli Corne de Cerf.

Κέρπαι.

ERUCÆ.

CAP. LIII.

30

ERUCIS, quæ in oleribus gignuntur, cum olco peruncti, a venenatis bestiis feriri negantur.

Erucarū
historia.

Erucarū
genera-
tio.

Remedia
contra
erucas.

Nomina.

ERUCA, quibus Olitores maximè inimicantur, animalcula sunt vulgaris notitia, sed hortis admodum noxia, quod quandoq; adeo numerosa proveniant, ut invitis olitoribus olera cuncta una tantum devorent nocte. Gignuntur (ut memoria prodidit Aristoteles lib. 5. cap. 19. de historia animalium) ex virentibus herbarum foliis, maximeq; ex brassica. Primum minus quid milio consistit in folio: mox vermiculi inde contrahuntur & augentur: tum intra triduum eruculae efformantur. Hoc tempore senescentes motu cessant, suaq; forma immutantur, durioresq; cortice integuntur, cujus color auro fulget: ob idq; (ut Aristoteles prodidit & post ipsum Theophrastus lib. 5. de causis plantarum) appellantur tantisper chrysalides, quasi aurelias dixeris. Dum eo putamine integuntur, ad tactum tantum mobiles sunt, & palpitantes, meatibus araneosis obducta: non os, non aliud ex membris, quod conspicuum sit, possident. Longo post tempore putamine abrupto: evolant inde animalia pinnigera, quos papiliones vocamus. Itaq; primum dum Eruca sunt, cibo aluntur, atq; excrementum emittunt: at verò cum in aurelias transferint, nihil vel gustant vel excernunt. Harum, dum adhuc puer essent, ingentem copiam quodam anno peperit Hetruria, adeo ut pueri omnes mirabili quadam ostentatione numerosas in plateis gestarent aurelias, ita auro nitore fulgentes, ut ex puro auri metallo factas quisq; credidisset, nisi deprehensa fuissent palpitantes. Fuit eg anno tanta Erucarum multitudo, ut universas eroserint herbas: quo postmodum factum est, ut ubiq; stirpium folia ac rami, edificiorumq; parietes, in veluti vivo ac palpitanti fulgerent auro. Facies eis quasi humana, capite bicorni, corpore infantuli modo fasciæ obducti: id quod silentio dispulavit Aristoteles. Ha quarentibus quotannis sese offerunt circa urbium mœnia, & edificiorum muros, circa eos praesertim, quibus adjacent horti ac viridaria: plerumq; enim in edificiorum cavu capite ad terram verso reperiuntur appensa. Caterum etsi dixerit Aristoteles erucas ex herbarum olerumq; praesertim foliis ex sese gigni, absq; animalis semine, visuntur tamen hoc aro papiliones ex aureliis exorti, avertis olerum foliis ova parere subalbida, milio minora, ex quibus eruca tandem prodeunt, ut sericino erucarum generi evenire comperimus. Unde mihi quidem dubitandum videtur, an rem hanc diligenter perpenderit, vel exquisitè tractaverit Aristoteles. Quanquam minimè negaverim, quin & ex putri quodam humore per se eruca nasci possint, quemadmodum & mures, angues, vermes, aliaq; complura generantur. Plinius grana illa ex rore fieri putat, soleq; addensari, quod tamen natura speculatores non ita facile comprobant. Erucas olera non erodi auctor est Plinius, si paulo imponentur in horti ossa capitis ex equino genere fœmina duntaxat. Adversus quas & cancrum fluviale in medio horto suspensum auxiliari narrant. Sunt etiam qui sanguineu virgis tangunt ea, qua nolunt his obnoxia esse: hac Plinius. Columella praeterea lib. 11. de re rustica circa calcem, necandis prohibendiq; erucas hac in medium protulit: Ubi verò apri- cis regionibus post pluvias noxia inceserunt animalia, qua a nobis appellantur Eruca, Graecè autem *κέρπαι* nominantur, vel manu colligi debent, vel matutinis temporibus frutices oleorum concuti. Sic enim dum adhuc torpent nocturno frigore, si deciderint non amplius superiorem partem prorepunt. Id tamen supervacuum est facere, si ante sationem semina succo herba sedi macerata sunt: nihil enim sic medicatis nocent eruca. Sed Democritus in eo libro, qui Graecè inscribitur *ὑπὲρ ἀνθρώπων*, affirmat, has ipsas bestiolas enecari, si mulier, qua in menstruis est, solutis crinibus, & nudo pede unamquamq; aream ter circummeat: post hoc enim decidere omnes vermiculos, & ita emori. Sed postrema hac, qua a Columella referuntur, superstitiosus sunt relinquenda. *Κέρπαι* Graecè, Latine Eruca vocantur: Arabicè Riapsa: Italicè Bruchi: Germanicè Rauppen oder Holzkourm: Hispanicè Bruchi: Gallicè Chenilles.

Κέρπαι.

E Frumentis congestæ Cantharides ad recondendum idoneæ sunt, quæ fictili vase non picato conduntur, & raro mundoque linteo obligato ore, & deorsum converso suspenduntur super aceti fermentis quàm acerrimi halitum, donec æstu exanimentur: postea lino transfixæ reponuntur. ^a Potentissimæ omnes variae, ^b luteis lineis, quas in pennis transversas habent, promissoque corpore, crassæ, ac blattarum modo præpingues: sed inertes ac imbecillæ, quæ unius sunt coloris.

^a Metum
ceteris, i.
efficaces.
^b Luteis,
in meo
non legi-
tur, nec
etiam in
pennis.

Βυπρέστες καὶ πεννῶν ἐρουῶν.

ERUCÆ.

BUPRESTES ET PINORUM

CAP. LV.

Simili modo reconduntur Buprestes, genera quædam cantharidum, & pinorum erucæ, quæ supra cribrum suspensum ferventi cinere paulisper intostæ, reponuntur. Vis omnium communis erodere, ulcerare, calorem elicere: qua de causa admiscuntur medicamentis, quæ lepras, ferosque lichenas, & carcinomata sanant: menses ciunt pessis emollientibus additæ. Aliqui cantharidas antidotis impositas, aquæ subter cutem auxiliari prodiderunt: argumento, quod urinam moveant. Alii pennas, pedesque contra potarum veneficia, remedio esse tradiderunt.



Cantharides vulgata sunt animalia, nomine à cantharo, qui Latine scarabeus est, deducto, ac si eas dixeris parvos scarabeos. Sunt in Italia frequentissima, calidioribus præsertim regionibus, ubi non modo in frumentis inveniuntur: sed in fraxinis quoque stabulantur. Præstant quæ solidæ, recentesque sunt, nam veterascentes facile caviem sentiunt, unde inutilis sunt in medicamentis. Buprestes autem (ut Plinius inquit lib. 30. cap. 3.) non perinde in Italia sunt vulgares & frequentes: sunt tamen scarabeus similes, quanquam minores. At pinorum eruca numerosa sanè habentur in Tridentinis montibus, quod inibi pinorum perpetuò vireant sylva, Ananiensi præsertim tractu, ac Fiemarum convallibus. In extremis arborum ramis, & in plerumque, qui in earum cacumine attolluntur, innumerabiles Erucæ rufescentes, ac pilosæ miro artificio nidificant, quibusdam tenuissimis velleribus innumeris involutis contextis. Latent in hi hyeme, ita a frigoris noxam evitantes. Nidi magnitudo adeo ampla est, ut nonnunquam conclusi vermiculi millenarium numerum excedant. Involucris materies, qua concluduntur, tenuissima serici velamina maxime amulatur, tenuior tamen est. Hac sanguinis manationibus aptissima est, quare imposita confestim fluorem sistit. Sed de his hæcenus. Caterum sunt medicorum quàm plurimi Mauritanos præcipue sequentes, qui quotiescunque Cantharidas medicamentis miscent, præcipiunt capita, alas & pedes abjici, tanquam partes ceteris nocentiores: quod tamen Galeni sententia omnino repugnat. Quippe qui lib. 11. simpl. medicamentorum integras cantharidas medicamentis addendas præcipit, quemadmodum & in integris ipse perpetuò cunctis fuerat usus. Sed si responderint illud nec eorum esse institutum, nec Mauritanorum, sed Hippocrati lib. 4. de victus ratione in morbis acutis, audiant quæ quibus verbis eodem loco Hippocrati sententiam declarat Galenus, cum inquit: Quidam dictionis huius mentem haudquaquam intelligens audax medicus, prædictas partes à cantharidibus abiecit, deditque hydropi: cui cum à primo die abscessus in sura comparuisset, post tres alios dies sectus est, effusaque copiosa aqua, curatus esse visus est: quod pars tumoris præter naturam plurima statim ad moderationem redacta sit, veruntamen non multis post diebus obiit. Quam ob causam medico quidam crimen ingessit, perperam datæ esse cantharidum corpora inquit: Nempe propinanda, ablati corporibus, tum caput, tum pedes, tum alas, idque esse quod in dictione enunciaretur. Quare non cunctatus audax ille medicus, hydropi alteri ita propinavit: moxque, factis similiter in femore abscessu sectoque, multis post diebus hominem mori contigit, quanquam urinam provocatorio medicamento ex cantharidibus confecto, quidam citra bibentium incommodum usi sint: hæc Galenus. Ex quibus facile cognoscitur, Arabes non rectè Hippocratem intellexisse. Quamobrem dicendum esse existimaverim, quod ablati cantharidum extremitatibus, exuantur antidoto, quo natura sunt prædita in proprii veneni remedium. Quod cum accuratè perpenderit Galenus, eas integras suis medicamentis semper admiscuit: ut facile attestantur quæ libro 11. de simplicium medicamentorum facultatibus memoria prodidit, sic inquit: Veruntamen sufficientem habemus de cantharidibus experientiam, quod in unguentis psorodeis cum idoneis ceratis, aut emplastris imposita, sic illos educunt, ut tori cadant. Miscuimus eas etiam facultatibus psoris, & lepris congruentibus, nec non quibusdam sepris, atque interim etiam iis quæ clavos, quos vocant, ejiciunt. Porro præceptorum meorum quidam earum paulum quiddam in medicamenta urinam cientia injiciebat. At quidam solas alas & pedes injiciunt, quæ ajunt esse alexiteria iis, qui corpora ipsorum bibissent: alii contra: at nos totas indimus. Caterum aptiores sunt ad ea, quæ expertum me dixi, eæ

Cantha-
ridum
confider.Bupre-
stes.
Pinorum
erucæ.Error
multorum.
alas & a-
lias abji-
cientiis.Cantha-
rides in-
tegras u-
surpan-
das.
Cantha-
ridum vi-
res.

cantha-

Bb 2

Buprestes.

Nomina.

cantharidum, qua inventa in frumento, lutea transversim in alis ringula obtinent, potissimum si injiciantur in vas fictile novum, deinde ori vasis linteum obductum sit raturum, & vas ita teneas inversum, ut linteum, quod cantharidibus subest, vaporem ab aceto sursum elatum excipiat, donec emoriantur ipsa cantharides. Et de Buprestibus agens, ita subdit: Sic Buprestes quoque reponere expedit. Sunt autem & ipsa animalis quoddam genus cantharidibus tum specie, tum viribus adsimile. Mox de pinorum erucis: Quin & eruca (inquit) qua in pinis nascuntur, merito nuncupat a pit yocampa, hujus sunt facultatis. Καυθαρίδες ut Græcis, ita etiam Latinis Cantharides appellantur: Arabibus Dherarie sive Carariha: Itali Cantarelle: Germanis Gold Kesser: Hispanis pariter & Gallis Cantarides. Βυπρεστές Græcè, item Latine Buprestes nominantur: Arabicè Xosostus: Italicè Buprestis: Germanicè Knölster: Hispanicè Arebentaluei. τριώνδυρα Græci, Pinorum eruca Latinis dicuntur: Bruchi de pini Italus: Pytorias Arabibus: Die Würm von Fichten Germanis: Gausanos del pino Hispanis.

Σαλαμάνδρα.

SALAMANDRA.

CAP. LVI.

a Orib.
addit xxi
ἐλαττω-
νάρις δὲ
ἐλαττω-
νάρις. i.
exulcera-
re.

Salamandra lacertæ genus est, iners, varium, quod frustra creditum est ignibus non uri. Vim habet exrodentem, calfactoriam, exulcerantem. Additur, ut cantharis, in medicamenta, quorum vis est exesse, & lepras abolere: similiq; modo reconditur. Liquefacta in oleo pilos evellit. Exenterata, detractis pedibus & capite, in melle servatur ad eundem usum.

SALAMANDRA.



Salamandra con- siderat.

Salamandra i- gne ab- sumi.

Arist. va- na opini- ones.

Salamandra ge- neratio.

Salamandra aqua- tica.

Salamandra in agro Tridentino copiosa inveniuntur, Ananienfi præsertim valle, juxta semitas, & in opacis virginitisq; locis. Incipiunt enim apparere verno tempore, atq; etiam autumnò, cælo maxime pluvio. Sed æstate ob solis fervores: i- temq; hyeme ob urgentissima frigora, suis è latebris non exeunt. Salamandra corporis magnitudine, formaq; lacerto simi- lis est, verum capitis ac ventris crassitudine excellit, brevior tamen constat cauda. Illa etsi altioribus nitatur cruribus, ad gressum tamen ignavior est, hic vero contra agilis celerq; conspicitur. Color illi niger, lutei non minimis infectus maculis, quadam levitate pellucidus. Visu Salamandra horribiles atq; abominanda sunt, ita ut facile eorum aspectus hominibus nauseam pariat. De hac differens Plinius lib. 10. cap. 67 sic inquit: Salamandra animal lacerti figura stellatum, nunquam nisi magnis imbribus provenit, & serenitate deficit. Huic tantus rigor, ut ignem tactu extinguat, non alio modo quam glacies: quod quidem facit prunis superposita, non secus atq; cetera animalium carnes, qua prunis assanda traduntur. Ve- runtamen in medium magni ignis, ubi flamma valentius agit, vel in fornacem projecta, statim comburitur. Vanum est ergo credere (ut etiam Dioscorides inquit) igne eam minime absumi posse, eoq; videri, ut chameleon aere: quandoquidem facto periculo, igne exustam brevi Salamandram vidimus. Quo fit, ut scripserit Galenus lib. 3. de temperamentis, Salamandram ad certum usq; temporis spatium ab igne nihil pati: uri tamen, si ea longius igni sit admoda. Quod postea effecit, ut explicare nesciam quo argumento, quæ ratione prodiderit, flammæ & prunas extinguere: cum contrarium ex- Salamandram igne minime comburi, sed per eam inambulantem, flammæ & prunas extingui: cum asserit in Cypro perientia facile probari possit. Illud præterea mihi dubium est, an idem eodem capite vera retulerit, cum asserit in Cypro Insula arariis fornacibus, ubi chalcites lapis ingestus compluribus diebus crematur, in medio igne, exoriri pennatas bestiolas paulò muscæ grandibus majores, quæ per ignem saliant atq; ambulent, amotoq; igne statim emoriantur. Quippe quod maxime id naturæ operibus repugnet. Adde etiam quod si hac vera essent, ea nunquam reticuisse Galenus, qui diligen- tissimè omnia Cypri metalla investigavit ac novit, pariterq; metallorum fornaces, cum fuerit ipse harum memorabili- um rerum accuratissimus indagator. Vidi ego in Germania ararias complures fornaces, à quibus utraq; cadmiam, pompholygem, spodium, aris strem, & alia mecum retuli, sed muscæ per ignem obamplantes mihi nunquam videre li- cuit. Quæ in re nesciverim, quonam pacto Aristoteles servari possit: nisi dixerimus, ipsum hoc in loco non suam, sed alio- rum historiam recensere. Sed de his hæc tamen. Ceterum Salamandra nil gignunt (ut Plinius tradit) neq; est in eis genus masculinum femininumve. Nascuntur enim ex putri quodam humore terra. Mosu venenum inferunt, serpentium modo. Quinetiam fructus, & herbas quadam oris saliva veneno inficiunt, maxima degustantium jactura: quandoqui- dem non pauci reperti sunt, qui hoc veneno interiere. Est & Salamandra aquaticum genus Urinensibus frequentissimum, capite terrestribus brevior rotundiorq; cauda anguillarum modo, nigro undiq; dorso, ventre autem rufescente, luteis maculis



10

20

maculatus resperso, horrendo aspectu, æquè atq; terrestre. Animal, quod Græcis σαλαμανδρα, Latinè similiter Salamandra nuncupatur: Arabibus Adhaya: Itali Salamandra: Germanis Olm oder Moll: Hispanis Salamantegua: Galli Salamandre.

Αράχνη.

ARANEUS.

CAP. LVII.

Araneus, quem holcum, alii lycon, id est lupum vocant, subactus cum splenio, & linteo illitus, pro-
latusq; utrisq; temporibus, aut fronti, tertianos circuitus persanat. Tela ejus imposita sanguinem
sistit, vulnera, quæ summam cutem occuparunt, ab inflammationis injuria vindicat. Est & alterum ara-
nei genus, qui candidam, tenuem densamq; telam orditur, quem in aluta ligatum, & lacerto appensum,
30 quartanis circuitibus mederi narrant. Decoctus ex rosaceo, & infusus, aurium doloribus auxiliatur.

40



50

Araneorum & phalangiorum (ut lib. 9. cap. 39. de historia animalium scribit Aristoteles) plura sunt genera. Mordax Araneo-
quod in duo distinguitur, alterum simile iis, quæ lupos appellant, est parvum, varium, procax, salax, pulex nuncupa-
tum. Alterum majus, coloris nigri, cruribus prioribus nigris, tardum & lente ambulans, nec viribus valens neq; saliens.
Cætera, quæ medicamentarii proponunt, aut nullum aut certè exilem inferunt morsum. Genus secundum, quod lupi no-
men accepit, partim exiguum est, quod non textit: partim majus, quod asperam, parvamq; telam apud terram aut sepes
orditur, bucculis intexere solitum primordiis intus positus observatur, dum aliquid in tela offendens commoverit, mox ac-
currit, ut capiat: partim varium est, quod paucam vilemq; telam sub arboribus facit. Tertium genus, quod sapientissimum
lautissimumq; omnium est, nostris adificiis latissimas contextit telas. Hujus ut equidem arbitror hic meminit Dioscori-
des. Plinius araneos, qui ictu, vel morsu venenum inferunt, phalangia nominat, quorum historiam lib. 29. cap. 4. diffusius
60 enarravit his verbis: Phalangium est Italia ignotum, & plurimum generum. Unum simile formicæ, sed multo majus, ru-
fo capite, reliqua parte corporis nigra, albis intercurrentibus respersum guttis. Acerbior hujus, quam vespa ictus. Vivit ma-
ximè circa furnos & molas. Acque phalangion Græci vocant inter genera araneorum, sed distinguunt lupi nomine. Ter-
tium genus est eodem phalangii nomine araneus, lanuginosus, grandissimo capite. Quo dissecto inveniri dicuntur intus
vermiculi duo, qui cervina pelle conclusi, & mulieribus adalligati ante solium, præstant, ne concipiant. Vocatur &
rhagio, acino nigro similis, ore minimo sub alvo, pedibus brevissimis, tanquam imperfectus. Dolor à morsu ejus, qualis à
scorpione. Urina similis, araneis textis. Idem erat astertion, nisi distingueretur virgulis albis. Hujus morsu genua labefa-
ctantur. Pejor utroq; est ceruleus, lanugine nigra, caliginem concitans. & vomitus araneosus: etiamnum deterior, à cra-
brone penna tantum differens: hic & ad maciem perducit. Myrmecion capite formica similis, alvo nigra, guttis albis di-
stinguentibus, vesparum dolore torquet. Tetragant hii duo genera habent, pejor medium caput distinguente linea alba, &

Bb 3

trans-

Phalan-
giorum
genera
ex Aëtio.

Tarantu-
lx conli-
deratio.

Tarantu-
lx reme-
diū mu-
ca.

Solifugae
historia.

Nomina.

transversum altera, hic dritumorem facit. At cinereus posteriori parte candicans, lentior. Minime autem noxiū eodem colore, qui telas muscis in parietibus latissime pandit. Haec de araneis & phalangis Plinius. Cui subscribens Aëtius lib. 13. cap. 18. Phalangiorum genera, inquit, plura sunt. Quae vero apud eos, qui de noxiis bestiis scripserunt, referuntur, ut plurimum sex numero existunt. Unum quidem ex his rhagium, alterum lupum, tertium formicarium, quartum cranocolaptes, quintum sclerocephalon, sextum scolecion appellatum. Ac primum quidem rhagium, id est acineum, figura rotundum est, colore vero nigrum, acini urae nigra similitudine, unde etiam appellationem accepit: & os quidem iuxta medium ventrem habet, pedes vero ex utraque parte quam brevissimos. Alterum vero lupus appellatum, muscas perdit euque patitur: ac corpus quidem habet latum ac volubile, partes vero circa ejus cervicem incisae sunt: amplius autem & os ejus eminentias tres habet. Tertium autem myrmecium, hoc est, formicarium dictum, quod formicu maxime assimiletur, colore est fuliginosum: corpus vero ejus velut astris quibusdam insignitum, praesertim circa dorsum. Quartum deinde cranocolaptes, oblongum est & viride, stimulumque juxta collum habet, atque si in aliquem irruat, locos circa caput perit. Quintum sclerocephalum dictum, caput habet saxum & obduratum: lineamenta vero per omne corpus similia animalibus illis, quae lucernas noctu circumvolitant. Sextum postremo scolecium sive vermicarium appellatum, sublongum est & submaculosum, maxime circa caput. Atque haec quidem species phalangiorum enumerantur. Haec de phalangis Aëtius. Ego autem asserere non dubitaverim, omnia haec phalangiorum genera haberi in Italia: quippe quae a me saepe sunt visa, quamquam scribat Plinius, phalangia in Italia non oriri. Quin potius praeter praedicta genera inibi & alterum reperitur omnium perniciosissimum, quod a Taranto Apulia civitate, ubi innumera aestate tota vagantur in campis, Tarantulam appellant. Icti vero ab his varie ac diverse torquentur: siquidem alii perpetuo canunt, alii vident, alii plorant, alii clamitant, alii dormiunt, alii vigiliis afficiuntur, plerique vomitionibus laborant, nonnulli saliant, sunt qui sudant, alii tremebundi fiunt, quidam pavoribus infestantur, & alii alia patiuntur incommoda, suntque phreneticis, lymphaticis ac maniacis similes. Quae quidem symptomata tam varia, ac diversa non aliunde provenire dicendum est, quam aut ex vario horum animalium veneno, aut ex demorforum hominum temperamentis. Nam atra bile tentatis, pro eorum temperaturis omnia haec accidisse conspeximus: tamen si non desint, qui putent Tarantulae venenum dietim, vel horatim immutari fierique, ob hoc, ut tam variis symptomatibus vexentur, qui ab ea ictiuntur. Habentur Tarantula etiamnum in maritimis nostris Senensis, Tyrrheni litori adjacentibus, & Romano agro frequentes: verumtamen non perinde ac in Apulia numerosa. Degunt haec inter segetes in quibusdam terra cavernulis, ex quibus interdum exeuntes, saepe eos messorum ictiunt, qui huius insidiae ignari, crura ocreis non muniunt. Ictos vidi ego nonnunquam in plateis jacentes, & in xenodochiis, qui praedictis affectibus torquebantur. Sed mirum certe, quam facile huiusce veneni vi musca mulceatur. Quandoquidem, (ut equidem attestari possum) auditis lyricis instrumentis, vel tibiarum sono, primo statim occursum icti a Tarantula a languoribus cessant, & in medium tripudiare & saltare incipiunt, tamque diu rem prosequuntur, ac si sani essent, & nullo unquam tenerentur dolore. Quod si eveniat, ut tibicines tantillum conquiescant ac interponant, non multo post tempore in terram concidunt & ad pristinos redeunt languores: nisi tam diu indeficiente sonitu saliant atque tripudiant, donec veneni virus, partim insensibiliter per cutis meatus, partim per sudorem exeat & discutiatur. Ob id igitur tibicines stipendio conducuntur, alternatimque mutantur, ut absque ulla sonitus intermissione, tam diu tripudiant demorfi, quousque penitus curati quiescant: cum tamen, dum haec aguntur, sint, qui antidotis eos corroborant, nimirum theriaca, murexidatice, ac alii, quae venenosorum morfibz adversantur. Constat quoque, esse ex mortifero araneorum genere Solifugam appellat Julius Solinus, his verbis. Sardinia est quidem absque serpentibus, sed quod aliis locis serpens est, hoc Solifuga Sardou agris animal perexiguum: simile araneis forma. Solifuga dicta, quod diem fugiat. In metallis argentariis plurima, nam solum illud argenti dives est: occultim reptat, & per imprudentiam supercedentibus pestem facit. Nomen ἀράχνη Graecum est, ut Latine Araneus: Arabicum Hamdebut seu Hanchebut: Italicum Ragno: Germanicum Spin: Hispanicum Arana: Gallicum Areine. 40

Σάψα.

LACERTA.

CAP. LVIII.


Lacertae caput intritum & appositum, aculeos, & omnia corpori infixae extrahit: varos, formicantes verrucas & pensiles, quas acrochordonas vocant, tollit. Jecur exesis dentibus conjectum dolores finit. Si divulsa admoveatur, ictis a scorpione levamentum praestat.

LACERTA.



SEPS

Seps, quam aliqui lacertam chalcidicam vocarunt, in vino pota, morsus suos sanat.




Lacerta, quae ubiq; vulgares oberrant, ova quemadmodum serpentes pariunt, & cochleis maxime insidiantur. In Arabia (ut Plinius est auctor) cubitalem aequant mensuram: & in Mauritania, auctore Strabone, bicubitales reperiuntur: in India vero Nisa monte, si Plinio credimus, ad 24. pedum longitudinem lacerti reperiuntur, colore fulvi, aut puniceo, aut caerulei. Est & Insula Capraria lacertis maximis referta, ut referunt, qui ad fortunatas navigarunt insulas. Caterum, quae Chalcidica vocantur, in Lybia, & Cypro copiose provenientes, non habentur in Italia. Morantur haec plerumq; in locis aridis, & inter saxa. Varia est harum historia, apud auctores: nam quidam nostratibus lacertis similes ipsas fecere, quidam vero inter serpentium genera recensent. Nicander Dioscoridi subscribit: quippe qui in theriacis suis dicat. Vitabatur & Sepem corpore humilibus lacertis similem. Veruntamen Aetius lib. 13. Sepem inter mortiferos recollit angues, sic inquit: Serpens, qui Seps appellatur, longitudine quidem duorum cubitorum reperitur, ex crasso autem in tenuem abit: recta vero, ac tarde proserpit. Caput habet latum, os acutum, universum autem corpus multis albis notis respersum. Caterum ii, qui ab eo percussi sunt intra tres, aut quatuor dies pereunt: hac Aetius. Pausanias porro aliter sentire videtur: inquit enim Aegyptum Arcadia quondam regem in venatione occupatum, & imprudentem Seps oppressit. Vipera similis est minimae, cineris colore, maculis ex intervallo variis, lato capite, angusta cervice, albo majori, cauda brevi, obliquo incessu, quasi cancer, quod & cerasta serpenti proprium est. Quamobrem credendum putaverim, aut fabulosam esse lacerta Chalcidica historiam, aut pluribus hoc nomen convenire serpentibus. Verum minime reticendum duximus, reperiri in Hetruria, in Romano agro, ac etiam in Apulia quoddam lacertarum genus Terrantola vulgo dictum, quoniam sub terra delitescat. Quae cum homines morsu perimat, fecit, ut mecum quandoq; cogitaverim, an ea fortassis Nicandro ac Dioscoridi Chalcidica esset lacerta: aut Stellio, quod stellis maculata, insignitaq; cernatur. Sed hac libr. 6. duce Deo, latius explicabimus, ubi de his, quae morsu, vel ictu venenum emittunt, sermonem faciemus. Quae Graeci σαῖπα, Latini Lacerta nominatur. Italia Lucertola: Germani Heider: Hispani Gartixa. Quae vero Σεψ, Graeci, Latine Seps & Lacerta Chalcidica vocatur: Italicè Seps.

Σκινς.

SCINCUS.

CAP. LX.

Scincus aut Aegypti, aut Indiae, aut rubri maris alumnus, quamvis inveniatur & in Lydia Mauritaniae. Est autem terrestris crocodilus, sui generis, saepe in veteratus cum Nasturtio. Ajunt carnes, quae renes amplectantur, id sibi virium vendicasse, ut si drachmae pondere bibantur, venerem accendant. Verum decocto lentis cum melle, aut semine lactucae cum aqua pota, veneris cupiditates inhihentur: additur in antidota.



Bb 4

Tamerfi


Scinci
confid.Scinci
Vicenti-
ni.
Fuchsi
error.Scinci
Egypti
historia.Crocodi-
li histor.

TAmetsi scribat Dioscorides, Scincum esse terrestrem Crocodilum, sui generis: aquatile tamen animal est. Quandoquidem qui Venetias importantur, in mari rubro, & in Aegypto Nilo flumine capiuntur. Hi quamvis forma crocodilos referant, magnitudinem tamen longe minorem habent: namque, qui ad summum adoleverunt, nostrates lacertas magnitudine non excedunt. Squamis vestiuntur subluteis, casta à capite ad caudam discurrente linea. At non eadem crocodilis tunica: quippe qui nigro natura sunt dorso. Pausanias in Libya bicubitales reperiri Scincos tradidit: verumtamen ii ad nos non deferuntur. Sunt in agro Vicentino lacus quidam, qui Scincos etiam gignunt, sed minutulos, ac nigricantes, quibus sepius utuntur seplarij deficientibus marinis, non sine magno sortasse hominum discrimine. Reprobat hos Fuchsius quoque libro 1. de compositione medicamentorum, sic inquit: Scincus animal est in aquis degens, lacerta magna simile, sed ventricosus: cauda lata, ut anguilla, ad natandum apta. Quapropter quos officina subijciunt, cum duabus caudis, veri non sunt, sed ex Vicentino agro allati: hac ille. Qui tamen dum aliorum errorem merito damnat, ipse (pace viri alioquin clarissimi dixerim) in alterum non minorem mihi quidem incidisse videtur, quod existimaverit, legitimum Scincum, cujus effigiem damus, regi lata cauda ad natandum, anguilla modo. Quandoquidem Fuchsi Scincus, quo Forojulienfis ager, & quæ circa Utinum civitatem stagnantes sunt aquæ, maxime scatent, & cui lacerta magna corpus, tumidus venter, ac maculis varius, rotundum quadantenus caput, anguilla cauda, nigrumque dorsum est, Scincus verus non est: sed potius animal salamandra generi adscribendum, quod terrestrem salamandram non paucioribus referat notu, quam aquatiles testudines terrestres representant: ob id itaque, rectè Utinenses hoc animal Salamandrâ aquaticam vocant. abhorrentque maxime, quod inter venenata omnino reputent. Huic sanè cum Aegypto scinco nulla est cognatio: quippe Aegyptius capite constat longo, dorso quadantenus elato: ventre lacerta non majore: corio squamis subluteis, numerosis, minimaque, in unum versum referto: cauda lacerta modo tereti, brevior tamen: castaque, à capite ad caudam discurrente linea. Talis nimirum Scincus est, qui quotannis ab Alexandria Aegypti Venetias numerosus convehitur. Scincorum meminit Plinius libro 28. cap. 8. ubi ita scribit. Ex chameleontis similitudine est Scincus, quem quidam terrestrem crocodilum esse dixerunt: candidiore autem, & tenuiori cute. Præcipua tamen differentia dignoscitur à Crocodilo aquatico squamarum seta à cauda ad caput versa. Maximus Indicus, deinde Arabicus. Afferuntur falsi. Rostrum ejus, & pedes in vino albo poti, cupiditates Veneris accendunt. Utique, cum satyrio, & eruca semine singulis drachmis omnium, ac piperis duabus admisti, ita ut passilli singulorum drachmarum bibantur. Per se laterum carnes obolis binis cum myrrha, & pipere pari modo pota efficaciares ad idem creduntur. Prodest & contra sagittarum venena, ante posteaque sumptus. In antidota quoque, nobilia additur: hac Plinius. **CROCODILUS** (ut refert Aristoteles in libro de historia, & partibus animalium) animal est magnum,

CROCODILUS.

Crocodi-
li genera
& vires.Chama-
leon, hist.

ad quindecim usque cubita crescens: quamvis ad duodeviginti scripserit Plinius. Hic animal non parit, sed ovum anserini magnitudinem non excedens: idque in terra, non autem in aquis. Parit cum plurimum sexaginta, vivitque diu, maximumque animal minima hac origine evadit: namque, factus ex ovo exclusus proportionem respondet, lacertorum magnitudinem æquans. Linguam adeo indiscretam habet, ut omnino ea careere videatur. Cujus rei causa est, quod idem & terrestris, & aquaticus quodammodo est. Ergo ut terrestris, locum obtinet lingua, ut vero aquaticus elinguis. Pisces enim aut nullam habere linguam videntur, nisi valde resupinentur, aut inexplanatam habent. Solus inter cetera superiorem movet mandibulam, minimeque inferiorem: causa est, quod pedes ad capiendum, retinendumque, inutiles habet. Oculi crocodilo suilli, dentes exerti, & ungues in pedibus acutissimi, coriumque durissimum, telis ac sagittis minime cedens. Interdum plerumque terram incolit, noctu vero aquis se mergit, innat atque flumine. Duo ejus esse genera Plinius est auctor loco citato. Unum majus, de quo diximus: alterum minus illi simile, multum infra magnitudinem, in terra tantum, odoratissimumque floribus vivit. Ob id intestina ejus diligenter exquiruntur, jucundo nidore sarcta. Crocodileam vocant, oculorum vitis utilissimam, cum porri succo inunctam, & contra suffusiones, vel caligines. Illita quoque, ex oleo cyprino molestias in facie enascentes tollit. Ex aqua vero morbos omnes, quorum natura serpit in facie, nitoremque reddit. Lentigines tollit, ac 60 varos, omnesque maculas. Et contra comitiales morbos bibitur ex aceto mulso binis obolis. Felle inunctis oculis contra suffusiones nihil utilius prædicant. Majores dentes à dextra maxilla adalligati dextro lacerto (si credimus) coitus simulant. Corii utriusque cinis, ex aceto illitus his partibus, quas secari opus sit, aut nidore cremati, sensum omnem scalpelli aufert. Sanguis utriusque claritatem visus inunctis donat, & cicatrices oculorum emendat. Cor annexum in lana ovis nigra, cui nullus alius color incuraverit, & primo partu genita, quartanas abigere dicitur. Corpus ipsum excepto capite pedibusque, elixum manditur ischiadicis, hac Plinius. Verumtamen quæ is alterius intestinis assignavit, ea Dioscoridem simo tribuisse constat. Ceterum cum Scincus Chameleontem, cujus formam refert, mihi in mentem revocaverit, veniatque, & ipse in medicum usum, non ab re fore duxi, ejus tum historiam, tum etiam facultates enarrare. **CHAMELEON** igitur (ut Aristoteles memorie prodidit libro 2. capite. 11. de historia animalium) figura totius corporis lacertam planè representat. Latera deorsum



10

20

deorsum ducta ventri junguntur, ut piscibus: & spina modo piscium eminet. Rostrum simia porcaria simillimum: cauda praelonga in tenuis desinens, & longis implicata in se orbibus. Elatior à terra est, quam lacerta. Pedes singuli bipartiti & se-
cantur, partesq; talem inter se habent situm, qualem pollex ad manus reliquam partem objectam. Sed ipsa etiam reliqua
partes paulotenus in digitos quosdam finduntur, aduncis unguiculis. Corpus asperum totum, ut crocodilo. Murat suum co-
lorem inflatus. Omnium oviparorum tenuissimus est: quippe qui omnium maxime inopia sanguinis rigeat. Causa ad mores
animæ ejus referenda est: præ nimio namq; metu multiformis efficitur. Motus ei piger admodum, ut testudinis: pallescit
cum moritur, defunctus colorem eundem servat. Subit cavernas, & latitat more lacertarum. Caput ejus, & guttur si
quernis accendatur lignis, imbruium, & tonitruum concursus facere Democritus narrat. Item jecur in tegulis ustum. Dex-
tro oculo, si viventi eruatur, albugines oculorum cum lacte caprino tolli. Lingua adalligata, pericula puerperii adimi.
30 Linguam, si viventi exempta sit, ad judiciorum eventus pollere dicunt. Item dextram maxillam ad formidines, pavo-
resq; corpore vero illito detrahi pilos: & felle glaucomata, & suffusiones corrigi. *Χαμῆλεων* ut Græcis, ita etiam Latinis Nomina.
Scincus appellatur: Arabibus Aschancur: Italis Stinco & Scinco: Hispani Stinco.

Chamaeleontis virens.

Γῆς ἰντερῶν.

TERRENI VERMES.

CAP. LXI.

Terreni vermes impositi, præcisos nervos glutinant: tertianas discutiunt. Decocti cum anserino adipe, infusi, affectis auribus medentur: cum oleo autem decocti, si in contrariam aurem instillantur, dentium doloribus præstant auxilium. Triti in potu ex passio urinam ciunt.

40 Terreni vermes etiam in medicum usum veniunt, quandoquidem oleo incoquantur ad articulorum, nervorumq; cru-
ciatus. Veruntamen aberrant plerumq; myropola in olei consiciendi ratione. Imponunt enim vermiculos in aneum ca-
cabum, & affuso inde oleo igni servesciunt: quo fit, ut parvo momento non modo inassentur, sed penitus comburan-
tur, nullo in oleo humore relicto. Fit autem rectius, cum vase vitreo excipiuntur, & diutius calore balnei macerantur,
oleo innatantes: namq; hoc modo eorum succus elicitur, comburiq; nequeunt. Præstat hoc oleum ita paratum, præsertim
si vermes rosaceo macerentur, ad podagricorum dolores, à calidis defluxionibus provenientes, inunctis prius locis dolen-
tibus oleo, & mox superpositis vermibus in eo elixis, tuis, admistisq; cum equali cerati pondere, quod tria pharmacum
vocat ex argenti spuma, oleo & aceto conflatum. Quibus etiam commendavit Plinius libro 30. cap. 3. ipsorum vermium
cinerem cum melle triduo emplastri more impositum. Quin & ipsos vermes in oleo veteri elixos, & superpositos. Ad hæc
terrestres vermes prius vino albo eloti, ac per se absq; oleo vase vitreo excepti, operculato vasis ore, ne quid expirare possit,
50 in balneum calentis aque immerguntur, tamdiuq; effervesce permittuntur, donec in liquorem oleo similem vertantur.
Præferunt quidam hoc, quod maxime præstet nervorum, & intestinorum vulneribus glutinandum. Quod longe efficacius
efficit, si factitio balsamo, de quo libro primo diximus, fuerit admistum: aut oleo, quod vitreis organis e larigna, sive abi-
egna lacryma elicitur. Namq; his additis universa corporis recentia vulnera brevi tempore glutinat, iis exceptis, quæ ca-
piti inferuntur. Dantur utiliter terreni vermiculi igne cremati, & in pulverem contriti felle suffusis, ex marrubii, vel ab-
sintibii decocto: addunturq; in electuariis ad idem paratis, ut Galenus docuit libro de theriaca ad Pisonem. Triti, ac rosaceo
subacti (ut idem author est) podagricorum inflammationes extinguunt. *Γῆς ἰντερῶν* Græcis dicuntur: Latinis vermes terre-
ni: Arabibus Charatin: Italis Vermi terrestri, & Lombrichi: Germani Regenwürm: Hispani Lumbrices de tierra:
Gallis Vers de terre.

Terrenorum vermium, & eorum olei virens.

Nomina.

60

Μυρογῶλον.

MUS ARANEUS.

CAP. LXII.

Mus araneus dissectus & impositus, sui morsus veneficia luit.

Araneus mus (ut Aëtius inquit) colore quidem muscæla similis est, magnitudine autem muri. Os verò sublongum ha-
bet, & exigua caudam. Dentes ei tenues, duplice ordine nati, in utraq; maxilla: quo fit, ut quatuor dentium ordi-
nes habeat. Quibus utiq; notis abundè respondent ii, à quibus picturam, quam hic damus, mutuati sumus. Meminit muris
aranei Nicander, in suis theriacis, dixitq; perire in rotarum orbita, si progrediens in eam incidit. Quod tamen fabulosum
poeticumq; censemus: tamen si non desint, qui terræ plaustrorum rotis excussa, hujusce succurrant morsibus. Scribit Plinius
libro 8. capite 58. mures Araneos ultra Apenninum non haberi, cum tamen hoc ævo in universa reperiantur guntur.
Italia

Araneus muris considerat.

Plinius libro 8. capite 58.

Italia